

Q. D. B. V.
ANTHROPOLOGIA
MOSAICO - THEO-
LOGICA,

Ex Deuteron. cap. VI. v. 4.

Quam

In illustri ad Albim Academia, impetrato Venerandi
Theologorum Collegii consensu,

SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI,
AMPLISSIMI, atq; EXCELLENTISSIMI,

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. celeberrimi,

Alumnorum Electoralium EPHORI

Gravissimi, &c.

DOMINI PATRONI, Evergetæ, Mecenatis, Studio-

*rumq; PROMOTORIS, & PRÆCEPTORIS, omni observantia cultu ad
tumulum usq; devenerandi, colendi &c.*

publicè defendit

HEINRICH. CHRISTOPH. Hornung/

Wernigerod.

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis consvetis D. 9. April.

An. clō Ibc LXXXVI.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat JOHANNES WILCKIUS.

20.

38

a. XXV. 47

Coll. diss. A
25, 47

ILLUSTRISSIMO ATQ; CELSISSIMO COMI-
TI AC DOMINO,
DOMINO

ERNESTO,
COMITI STOLBERGÆ, KÖ-
NIGSTEINI, ROSCHEFORTI, WER-
NIGERODÆ ET HOHENSTEINI
DOMINO EPSTEINI, MÜNZENBER-
GÆ, BREIBERGÆ, AIGMONDI
LOHRÆ ET KLETTENBERGÆ,

Domino Meo, & Pa-
tri Patriæ Gratiofissimo,



Perennem Felicitatem!

JLLUSTRISSIME, ac CELSISSI-
ME COMES, DOMINE
GRATIOSISSIME.

DUrum sane, tristeq; fatum erat, quod
impetu uno, innumeris fortune telis
me exponebat, neq; parcebat tempori,
ex quo totius vite mea salus expecta-
batur. Miserum enim me parente, præter omnem
expectationem, orbabat, atq; adeo nihil præsidii co-
natibus meis Academicis relinqvebat. Sed causa
mæstis atq; sic turbatis hisce cogitationibus immo-
randi amplius nulla videbatur, dum meos, Domi-
mine Clementissime, oculos ad Patrem Patriæ
convertebam. Tu siquidem, Comes illustrissime
Patriæ Pater es, Tu Pater Subditorum Tu Pater
omnium orphanorum. Excitasti, Patris instar, fi-
duciam meam indulgentiâ Tua Principali, quâ vi-
te mee stipendium, studiis meis solatium benignis-
sime concessisti. Quare in præsens Sacro potius si-
lento laudes, quas de me meruisti, humillimâ reve-
rentia veneror, quàm ut in illas sermone minis po-
lito excurrere velim, ne adulationis crimen incur-
rere

vere videar. *Studia autem mea, cum omnibus
quæ habeo quæque video Nomine nonnisi Tuo, in-
dulgentissime Comes insigniri possunt ac debent.
Quod igitur constitueram mecum pridem exequi,
& fructum operis Academici exhibendo Tibi, Pater
Patriæ Laudatissime, publicum grati animi facere
monumentum, id modò tentare volui. Sed infeli-
cem me, cui per ingenii vires id satis assequi non
licuit, ut jam non ponere, verùm adumbrare sal-
tem devotæ mentis monumentum queam. Atta-
men spes mihi cum omnibus est communis, qui &
Nomen Tuum in oculis non modò, sed etiam in
cordibus venerantur, & Virtutes in Te Heroicas
admirantur, fore non ingratum, quod submissæ Ve-
nerationis & devotissimæ gratitudinis hic offertur
documentum. Suscipe precor, Comes illustrissime,
grati hoc devoti quæ animi signum, & serva mihi in-
dulgentissimum Tuum animum! Excitabit hoc stu-
dia mea, quibus in id enitar, ut quicquid ex iis bo-
ni in Rempublicam, præsertim Sacram, redundabit,
ad Tuam gratiam, Tuamque gloriam unice refera-
tur. Neque enim aliud pietas & religio jubet. Im-
primis autem æternum illudque præpotens Numen*
sup-

supplex veneror, ut Te, unà cum Coniuge Cel-
lissima, & Sobole Splendidissima, Omnibusq;
qui illustrissimo sanguine iuncti sunt, in seram
usq; senectutem, saluum & incolumem, omniq; bo-
norum genere cumulatum, conseruet ac tueatur,
Id quod precatur

Illustrissimi Nominis Tui

Obsequentissimus religiosissimusq;
subditus

**Henrich Christoph
Hornung.**

IN Mundo melius nihil est, quam *Nosse Jehovaham,*
 Post hoc nil melius *cognitione Sui.*
Iνωθι Θεόν priscis *Gentilibus,* optima quæq;
 Mittebat, post hæc *νωθι σεαυτὸν* erat.
Hæc duo sunt nostræ *Natura lumina* certa
 Quæ in terris *vita caduca* bene.
Hæc sacra quoq; sunt *scriptura lumina* clara,
 Quæ homo per *veram* fulget in orbe *fidem.*
Totius scopus est *Scriptura, Nosse Jehovaham,*
Gloria prima DEUS, gloria summa DEUS.
Ast Homo si primum *se non cognoverit Ipsum,*
 Pectore nec poterit *noscere rite DEUM.*
Namq; sui qui *notitiam* male negligit omnem,
Notitiam pariter negliget *Ipsè DEI.*
Cognitio Nostri producit *Nosse Jehovaham,*
 Namq; *DEUM scit,* qui *se bene novit Homo.*
Tota Sacra Sapiens & in his est *Summa* reposita,
Cognitione DEI, cognitione sui.
Sic docuit Moses, & sic docuere *Propheta,*
 Sic docuit *Christus,* sic docet *omnis Homo.*
Hoc repetis docte, tradens **ANTHROPOLOGIAN**
Mosaicam studio, **FÁUTOR AMANDE,** pio.
Perge piis studiis sic *fundamenta* locare,
RECTOR erisq; *bonus,* **PASTOR** erisq; *bonus!*

JOHANNES Deutschmann/D.

IN NOMINE JESU!

COMPENDII MOSAICI ANTHROPOLOGIA,

HOC EST,
DOCTRINA THEOLOGICA,
DE
HOMINE PECCATORE,
TANQVAM SUBJECTO THEOLOGIAE.

I.

Memor esto, unde excideris, & age poenitentiam, & prima fac opera, dicit ipse Salvator noster Angelo, vel Episcopo Ephesinae Ecclesiae Apoc. II. 5. Loquitur, quoad *hypothesin*, e quidem de temporibus illis, de certis personis, de certo Ecclesiarum statu: sed quoad *Thesin* verba generalia sunt, quae vere dicuntur omnium temporum, omnium locorum, omnium subjectorum, quin etiam objectorum, sicut B. Dn. D. Johannes Olear. in Bibl. Explic. ad h. l. *μνημόνευε*, gedencke Lehrer und Zuhörer / distincto gradu, die ganze Gemeine &c. aus den Spiegel des Göttlichen Worts Jacob. I. 23. daraus man lerne gedencken (1) an Gott / sich Selbst / und den Nächsten. (2) An Glauben / Lieben / und Hoffen. (3) An Büßen / Beten / und Bessern. (4) An das Buch der Allmacht / Gnaden / und Ehren. (5) An Zeit und Ewigkeit. (6) An Wehe / und Wol. (7) An Anfang / Mittel / und Ende. Addimus (8) An Stand der Unschuld / quoad *statum perfectae creationis*: An Stand der Sündenschuld / quoad *statum corruptae conditionis*, vel *peccaminose corruptionis*: An Stand der Gegenschuld / quoad *statum gratiosae reparationis* &c.

2. Notum enim, quod multi Theologorum etiam haec verba Salvatoris universaliter ad distinctos Generis Humani status, quoad omnes Homines, referant, ita quidem, ut verba prima pertineant ad *Statum integritatis*: Memento, vel memor esto, unde ex-

A

cide-

COMPENDII MOSAICI

*videris. Nam pristina creationis integritas, prima nostræ naturæ, totiusq; vite bonitas, summa protoplastorum felicitas, semper coram oculis, coram animo, semper in memoria nobis versari debet, ut instar Memorialis, vel Tabulæ Mnemonice, nobis universis, & singulis exponatur, quo nostram malitiam, & miseriam, adeoq; morborum spiritualium vehementiam recte cognoscamus, dextre penitemus, & nunquam ex memoria relegemus, ut eò celerius ad Medicinam, & Medicum nos recipiamus, eò ferventius, & illam & hunc inquiramus, eò facilius inveniamus, & eo felicius, atq; constantius retineamus. Ignorantia morbi fit negligentia Medici. Media verba respiciunt, cum relatione ad præcedentia, statum corruptionis, dum enim casus, vel lapsus, aut excisionis mentis fit, ipsa pœnitentia dicitur necessaria, nim. ut in casu, vel lapsu, seu statu peccati non permaneamus, sed maturius eum deseramus per veram pœnitentiam, quæ vid. in Christo, ratione nostri, mediante fide, dicitur unicum restitutionis medium, ea de causa, tum Johannes Baptista, Matt. III. 20. tum Christus ipse c. IV. 17. verbis his emphaticis Ministeriale suum exorsus sunt officium: Pœnitentiam agite: nã appropinquavit regnum cœlorum: idem verbum *μετάνοειν*, quod hic legitur, etiam ibidem reperitur. Deniq; subjicitur Status restorationis per ipsam Pœnitentiã cū relatione ad sequentia verba: Age pœnitentiã, & prima fac opera, quæ sunt divina legû, divinæ tum præceptionis, tum obligationis, & ex gratia Spiritus sancti pariter observationis. Quod Salvator huic Ecclesiæ Ephesinæ Angelo proposuit, illud etiam Spiritus Sanctus in Patriarchis, & aliis fidelibus Testamenti Veteris, illuminatione sua diligenter urfit: citra dubium enim fideles de Statibus diversis frequentes meditationes instituerunt, ex operatione Spiritus doctrinam hanc salutarem suis mentibus, & cordibus inscripserunt, memoria sua fideliter custodierunt, homileticos sermones de iisdem, juxta divinam revelationem, & majorum traditionem, sæpius privatim & publice tradiderunt, & hanc salutarem doctrinam suis inferioribus proposuerunt.*

3. Idem etiam ex Oraculo Nostro Mosaico facilè colligimus, si verba paulo plenius introspicimus: *Audi Israel, Jehova, Elo-*

ANTHROPOLOGIA.

Eloheum, Jehova Unus est. Cum verò non explicitè *Status Anthropologias* hic annotatos conspiciamus, ideo necessum est, ut ex ipsis verbis, cum *collatione scripturarum*, eosdem demonstremus, in primis autem in *Subiecto*, nim. *Israel*, quod h. l. *subiectum* totius *Theologiae* constituitur, eosdem inquirere juvabit.

4. Cum igitur in *Theologicis libellis* communiter quatuor potissimum *Status* recenseantur, & exponantur, nim. (1) *Status Creationis*, (2) *Status Corruptionis*, (3) *Status restorationis*, & (4) *Status glorificationis*, ideo nos etiam in hoc *Compendio Mosaiso* *Status* illos quatuor notabimus, & explicabimus.

5. Quod igitur attinet I. *Status Creationis*, eum *Moses* & ipse, simulq; per alios *Scribas*, *Levitas*, atq; *Sacerdotes*, inculcavit, (1) quia tum temporis in *Ecclesia* doctrina de *Creatione*, tum in genere, tum in specie, de *perfecta hominis creatione*, sonuit, (2) quia *Moses* illis temporibus rem insolitam ex *inspiratione divina* publicis scriptis exhibuit; nim. consignando *Pentateuchum* suum, & imprimis *Deuteromion paucis*, ante *Mortem Mensibus*, l. *septimanis*, *Israelitis* prædicavit, & ex beneplacito *Dei* consignavit: jam vero totam de *Creatione*, deq; *Protoplastorum perfectione*, vel *imaginis divine communicatione*, doctrinam *Genesis* proponit. Et hæc res nova, vid. *institutum consignationis*, citra dubiū omnes in admirationem, & sedulam meditationem traxit, adeoq; sic eò planius, & plenius cognita, & sæpius lecta, vel relecta, & eò firmiq; atq; constantius credit a fuit hæc etiā *Anthropologia*. (3) Quia *Moses* sæpius ad *Creatorem*, vel *possessorem*, atq; *gubernatorem cæli & terræ* provocat *Gen. XIV. 19. XXIV. 3.* neq; tantum in *precedentibus*, sed etiam in *sequentibus* illud observat. *Deut. XXXII. 6.*

6. Hic autem *Status Creationis Hominis* ex nostro *Compendio* facile demonstratur (1) quia *Jehova Creator* est, sicut appellatur *Gen. II. 4. seqq.* *DEUS* autem noster est *Jehova*, sicut h. l. *Moses* testatur. (2) Quia *Elohim* rerum omnium est conditor *Gen. I. 1. seq.* (3) quia *Jehova Elohim* est imprimis *Hominis auctor*, sicut circa *Creationem Hominis* *Gen. II.* vicibus undecim hic titulus angustus repetitur. (4) quia sæpius in *S. L. DEUS unus Creator* appellatur *Sir. I. 8. II. Macc. I. 24. Deut. IV. 19. 32. Esa*

COMPENDII MOSAICI

XLII. 5. XLIII. 1. XLV. 7. Mal. II. 10. &c. (5) quia legalis obligatio per *Audi* verbum indicatur: hæc autem legalis obligatio pendet ex *creatione*, & ex creaturæ propter creationem *obligatione Gen. II. 17.* (6) ex *Israelitarum conditione*, quia vere *fideles* erant *Israelitæ*, dum restaurabantur ad eam *imaginem* in Ecclesia, quam in *Adamo* perdiderant: necessariò proinde talia, quæ pertinebant ad primæ perfectionis statum, in Ecclesia proponenda fuerunt.

7. Quæ verò fuerint *doctrinæ capita*, quæ nim. de *primo perfectionis statu*, tum *Doctores* illius temporis proposuerunt, tum *auditores* fidelibus auribus, & cordibus exceperunt, illud facile declaratur. Nam cognoverunt omnia, quæ de *statu creationis*, & *integritatis Moses* in scriptis suis nobis reliquit, cum primis quia tum temporis *lumen inspirationis immediata* multi fidelium divinitus habuerunt, quibus *Spiritus sanctus* non modo *verba*, sed etiam *genuinum verborum sensum* communicavit, ut, tanquam viri *θεόπνευστοι*, suis auditoribus *doctrinam planam* de *perfecta creatione Hominis Gen. I. 31.* de *pulcherrima imagine DEI*, v. 26, 27. de *notabili primi Status integritate*, de *maximâ illius felicitate c. II. 8.* seqq. &c. cum *publice*, tum *privatim*, exponere potuerint: imò cum in tota scriptura S. nullibi planius, nec uspiam plenius agatur de his omnibus, quam in I. & II. capite *Geneseos*, ideo quo propiores *Israelitæ* fuerunt his omnibus, eo studiosius ea tradere, cognoscere, vel in usum *pium* convertere voluerunt.

8. Nam si talia non cognovissent, *defectus* ille fuisset vel penes *DEUM*, & imprimis *Spiritum S.* vel penes *DEI verbum*, vel penes *Patriarcharum*, & *Doctorum Ministerium*, vel penes *auditorum & fidelium studium*: sed nihil horum vel dici, vel concedi potest. Manet igitur, quod *fideles* horum temporum *doctrinam* de primo perfectionis statu recte perceperint. Non enim *ullus defectus* conspicitur (α) penes *DEUM*, vel *Spiritum Sanctum*, qui tum temporis non tantum *mediate* per *verbum*, sed etiam *immediate* per *extraordinariam θεοπνοήν*, & *ἐλάμψιν*, tam *feminas*, quam *mares* illuminavit, & mentes ac corda *Patriarcharum*, ac aliorum *Doctorum* excitavit, ut studiosius in omnem
salu.

ANTHROPOLOGIA.

salutarem doctrinam inquirerent, eamq; partim ore tenus, partim scripto tenus propagarent. Et certe maxime foret impium, *Spiritum sanctum* vel ullius *ignavia*, vel ullius *negligentia*, vel ullius *invidia*, vel alius cuiusdam *causa*, quæ talium doctrinarum ignorantiam prisca fœderis fidelibus inferret, inique postulare. Semper idem est *Spiritus I. Cor. XII 5.* Semper eadem fides, idem verbum, eadem salus, atq; spes *vocationis Eph. IV. 4.* Ex ejus igitur illuminatione prisca fideles, vel *Israelitæ, Statum Hominis primi*, qui *creationis & perfectionis* dicitur, *evidenter & sufficienter* cognoverunt.

9. Nec ullus defectus invenitur (β) penes *DEI Verbum.* Nam ante consignatum *DEI Verbum* ex divina providentia per *Viros θεοπνεύστους*, & alios, omnia cognitu, & creditu necessaria fidei cura sunt ad posteritatem propagata, & eadem postea, non alia, per *divinam inspirationem* literarum monumentis sunt commendata: talem enim harmoniam, imò plenariam *ἁρμονίαν*, vel *identitatem*, *Jobannes I. Ep. I. 4.* luculenter ostendit inquiring: *ταῦτα* (nim. quæ vobis annunciamus, *hæc eadem, & non alia*) *scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Jam autem tota doctrina de *Statu integritatis Gen. I. & II.* perfectè traditur, sicut à multis *Interpretibus, & Theologis Didacticis*, accurate demonstratum est. Si proinde *Verbum* illud antiquissimum, *Gen. I. & II.* traditum, adhuc hodie *perfectissimæ cognitionis de Statu integritatis medium*, & in hac parte quoddam illustre *Theologiæ primæ compendium*, sequitur, quod olim etiam tale *Patriarchis, & fidelibus* extiterit, cum ne *jota quidem, vel apex ex lege*, seu *verbo DEI perierit Matt. V. 18.* Nullus igitur defectus *Verbo DEI*, quod *alias perfectum est, Psal. XIX. 8.* tribui potest.

10. Nullum præterea defectum (γ) *Patriarchis, & fidelibus Doctores* adscribere possumus. Prolixe tum ex plerorumq; *Patriarcharum Historiis*, tum ex *Abelis fide*, quæ melius, & Deo gratius sacrificiū per fidem obtulit *Gen. IV. 4. 5. Heb. XI. 4.* tum ex *Henochi cum Deo ambulatione c. V. 22.* tum ex *Lamechi confessione v. 29* tum ex *Noachi descriptione c. VI. 9.* tum ex aliis, hoc demonstrare possemus, sed brevitati studendum. Unum saltem *Abrahamæ*

COMPENDII MOSAICI

num specialius introducimus, de quo clarissimum ipsius *Messie* testimonium *Gen. XIX. 19.* producimus: *Scio, quod (Abraham) praecepturus sit filiis suis, & domui suae post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & justitiam. Via Domini est doctrina Domini, vel etiam manifestatio Domini, erga hominem, quae via tergemina, juxta Mosen (1) Via causalis opificii, quae fecit hominem, tanquam opificium rectum, & perfectum Eccles. VII. 30. ad imaginem & similitudinem suam Gen. I. 26. 27. (2) Via Criminalis iudicii, quae, tanquam iudex severus, peccatoribus poenam indicturus, & inflicturus, ambulabat in horto c. III. 8. & ad iudicium eos citabat v. 9. (3) Via spiritualis beneficii, quae, mediante protevangelio, Messiam miseris peccatoribus offerebat, & ad naturam hominis proxime se conferebat, ut etiam semen mulieris semetipsum nominaret. Haec erat Domini via, quam Abraham posteritati suae commendaturus erat, in qua Status etiam integritatis reperitur.*

II. (3) Nullum denique defectum in auditoribus fidelibus observare possumus, siquidem & masculi, & femellae, sedulam salutis suae curam habuerunt, & per divinam illuminationem, ac continuam Patriarharum, & aliorum Docentium, informationem capita veteris fidei, cognitu credituque necessaria, mentibus, & cordibus inscripserunt, ac saepius externis verbis illustres doctrinae confessiones ediderunt, sicut illud multis, ex priscis illis seculis demonstrari posset. Et observant ipsi *Judeorum sapientes, quod multa mysteria de rebus divinis apud modernos Judeos perierint, quae priscis Judaeis cognita, creditaque fuerint, sicut R. Moses in More Nevochim part. I. cap. 71. scribit: Scito multas egregias sententias, quae in Gente nostra olim fuerunt, de Veritate istarum divinarum rerum, partim longitudine temporis, partim infidelium, & multorum populorum in nos dominatione, partim etiam, quod non cuivis concessa erant (potissimam autem causam omittere videtur, nimirum ipsum divinum iudicium, & supplicium, quo DEUS verbi sui damnabilem neglectum, & contemtum, in Judaeis punivit, sicut passim scriptura testatur) periisse, & in oblivionem devenisse (nihil enim permissum erat, nisi ea, quae in libros sacros digesta, & relata erant)*

ANTHROPOLOGIA.

erant) Nam nostri, Talmud. ipsum inter nos receptum, olim non fuisse in certum librum digestum, propter rationem illam, quæ tum passim obtinebat in Gente nostra: Verba, quæ dixi tibi ore, non licet tibi scripto divulgare. Atque hæc fuit summa sapientia circa legem nostram, quæ fugiebantur, & vitabantur illa, in quæ sequentibus temporibus incidit: Varietates nempe, & perplexitates sententiarum, ac opinionum, dubia item, quæ oriri solent ex sermone scripto, & in librum relato, quibus accedunt errores, qui à scriptoribus, & librariis, facillime committuntur, ex quibus postea oriuntur inter homines dissensiones, controversiæ, schismata, & secta, in negotiis, & commerciis magna confusio. Sed tum negotium omne erat penes Synedrium magnum, sicut exposuimus in Commentariis nostris Talmudicis, & sicut de eo lex ipsa testatur. Quod si ergo circa legem oralem cautum est, ne illa publice in libro conscripta omnibus prostraret, ne forte corrumpere, aut depravaretur: quanto magis debuit hæc fieri circa Arcana ista legis, & caveri, ne divulgentur publice, & ita margarita porcis objicerentur? Ideo tradebantur illa tantum quibusdam singularibus, & ab his iterum aliis eximiis, & extraordinariis à DEO donis instructis Viris, sicut declaravi tibi in eo, quod Rabbini nostri dicunt: Non tradunt arcana legis, nisi consiliario, sapienti &c: Atq; hæc vera causa est, propter quam solida illa fundamenta, eximiisq; RELIGIONIS NOSTRÆ ARTICULI inter nos perierunt, & non NISI PALUCA admodum Doctrinae illius Veteris VESTIGIA, & INDICIA, comparent, quæ in Talmud, & Medraschoth sparsim hinc inde extant, quæ tamen ipsa sunt veluti grana cordis parva, (b. e. nuclei parvi) magnis cincta corticibus: ita, ut omnes fere homines in corticibus illis enucleatis laborantes existiment, nullum prorsus illis inesse cor (b. e. sanæ doctrinae nucleum, vel medullam:) Hæc ille, quibus aperte demonstrat, quod à veterum Israelitarum religione moderni Judæi defecerint, doctrina nucleum amiserint, cortices retinuerint, & hoc pacto veteris fidei, vel antiquæ religionis, articuli præcipui perierint.

12. Quod autem attinet præcipua doctrinalia Capita de primo perfectionis, & integritatis, statu nihil eorum hodie docetur, quod non prisca fideles eadem facilitate cognoscere, & credere potuerint

potuerint

COMPENDII MOSAICI

potuerint, cum idem *doctrinae* totius *fundamentum*, eandem *χρηστικότητα* nobiscum habuerint, & propiores tempore fuerint. Nos illud longa serie demonstrare possemus. sed hic *systema* conscribere nolumus, intra *Compendii* limites subsistere constitui-
mus. *Capita* *precipua* tamen allegamus. Cognoverunt igitur *Israelitae* juxta praesens *Compendium*, ex *historia* *Creationis* illu-
stratum, (1) *Ipsam* *Statum* *Integritatis* ὁλικῶς, tum quoad *existenti-*
am, quod talis *status* fuerit ex *Gen. I. & II.* vel etiam ex ejus *a-*
missione c. III. & *amisse* *perfectiois* *conditione* c. IV. seqq.

13. Tum quoad *Essentiam*, quae perspicitur è *causis*. *Efficiens*
causa, tum *Elohim* c. I. tum *Jehova Elohim* c. II. qui cuncta *benefe-*
cit c. I. 31. *Materialis* *Causa* tum in qua dicitur, nim. ἀμέσως homo
felicissimus, & ad *imaginem* *DEI* *conditus*, nulli *miseriae* *subjectus*,
omni *beatitudine* *coronatus* *Gen. I. 26. 27. 28.* ἐμμέσως vero *rotus*
mundus *benedictus* *Gen. I. 28.* imprimis in *Paradisi* tum *amanita-*
te, tum *jucunditate*, tum *fertilitate*, tum *arborū* *varietate*, tum *bo-*
norum *omnium* *puritate*, tum *ipsorum* *perpetuitate* &c. homo verā
integritatem, & *felicitatem* possidebat. Tum *circa* *quam*, sic homo
recte, & perfecte *circa* *DEum*, *summā*, *maximā*, & *optimā* *feli-*
citatis *promptuarium*, & *promum* *condum*; *circa* *Angelos*, *excellen-*
tissimos *DEI* *Ministros*, *circa* *semetipsum*, *circa* *cunctas* *creatu-*
ras, fuisset *maxima* *cum* *delectatione* *semper* *occupatus* *Gen. II.*
8. seqq. Tum *ex* *qua* *dicuntur* *omnis* *generis*, & *integritates* & *feli-*
licitates, tum *internae*, tum *externae*, tum *substantiales*, tum *acciden-*
tales, tum *naturales*, tum *supernaturales* &c. cum primis quae
potissimum *ex* *imagine* *divina* *resultabant*, *Gen. I. & II.* *Forma*
status *hujus* *nec* *satis* *indagari*, *nec* *satis* *mente* *considerari*, *nec*
satis *ore* *pronunciari*, *vel* *explicari* *potest*, *cum* *totalem*, *absolu-*
tam, *secundum* *statum* *animalem*, & *terrestrem* *videlicet*, & *o-*
mnimodam *felicitatem* *prae* *se* *ferret*, & *homini* *creato* *juxta* *divi-*
num *consilium* *conferret*. *Finis* *deniq;* *fuisset* *DEI* *gloria*, & *Cul-*
tus c. II. 17. *hominis* εὐζωία, εὐπραξία, εὐτυχία, & εὐδαιμονία.

14. Tum quoad *Excellentiam*, quae *ratione* *status* *integri-*
tatis *habuit* *affectiones*, & *dotes* *eminentissimas*. Nam hic *status*
fuit (1) *divinus*, quia per *DEum* *ipsum* *institutus*, & *ornatus*, &
homini

ANTHROPOLOGIA.

hominis collatus est. (2) *Primus*, quia statim cum ipsa creatione capit. (3) *Unus*, & in contraria non divisus, vel distractus. (4) *Verus*, quia fuit primæ veritatis, quam Diabolus non servavit. Ioh. IX. 44. (5) *Bonus*, & omnium bonorum circulus, imò valde bonus, vel optimus *Gen. I. 31.* (6) *Necessarius*, cum à DEO quæ sunt, necessario bona sint. (7) *Summus*, qui nim. in hoc mundo naturaliter creaturæ rationali contingere potuit. (8) *Perfectus*, quia veræ fuerunt in eodem perfectiones. (9) *Rectus*, quia Deus in omnibus hominem condidit רשע rectum *Ecc. VII. 30.* (10) *jucundus*, & omnibus deliciis plenissimus. (11) *Ordinatus*, in quo nulla vel effectuum, vel motuum, vel actuum, vel effectuum esset confusio *Gen. II. 25.* (12) *Purus*, ab omni vel spiritali, vel corporali malo, vel inquinamento prorsus alienus. (13) *Utilissimus*, qui nullis erat incommodis, nullis damnis oneratus, sed omnibus usibus & fructibus exornatus. (14) *Securus*, qui nullis periculis & malis hominem turbare, vel cruciare debebat. (15) *Tranquillus* qui citra hominis culpam propriam, nullis vel internis, vel externis malis commoveri potuisset. (16) *Tutus*, quia sub providentia divina tutam vitam, tutum domicilium, tutum asylum, protoplasti semper habuissent.

15. (II) Μεγαλῶς, quoad imaginem divinam, quæ pariter Israelitis, & priscis fidelibus neququam incognita fuit, siquidem & hæc nupiam clarius, & plenius, est patefacta, quam apud *Mosen Gen. I. & II.* Hujus iterum cognoverunt (1) *Existentiam*, quod homo conditus sit ad imaginem divinam, siquidem hoc *Doctores Israelitarum* demonstrarunt (a) *ex DEI consultatione Gen. I. 26.* (b) *ex consultationis executione v. 27.* (c) *ex imaginis divine per vitam, & ejus actiones demonstratione c. II. 17. seqq.* cum omnis effectus testetur de sua causa. (d) *ex imaginis divine post lapsum repetitione c. V. 2.* (e) *ex imaginis divine per lapsum cum Adamica imagine corrupta permutatione c. V. 2. 3.* (f) *ex divina ad imaginem DEI provocatione Gen. IX, 6.* (g) *ex divina legis in imagine divina fundatione, ibid.*

16. (2) *Imaginis divine Essentiam*, quæ cognoscitur ex causis, sic cognoverunt prisci fideles, & ante, & post diluvianum (1) *Causam*

B

(am)

COMPENDII MOSAICI

sam Efficientem, quod sit Elobim, DEUS Trinunus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Gen. I. 26. 27. Jehova Elobim, DEUS quoad Essentiam, Jehova, quoad tres personas Elobim c. II. 7. (2) Causam Materialem, tum quoad respectum ex qua, quod constiterit ex meris perfectionibus, partim animæ, dum quoad intellectum sapientissimus fuit, quod colligitur ex θεωρωσια, ex εαυτογνωσια, ex νοσηγνωσια, ex θηρωγνωσια, &c. cujus illustrissima documenta Caput II. Genesios tradit: quoad voluntatem, rectus, bonus, & perfectus, & in omnibus DEO simpliciter obsequiosus Gen. I. 31. c. II. 14. seqq. quoad appetitum purissimus, ordinatissimus, & ab omni pudore, vel confusione remotissimus Gen. II. 25. Partim corporis, qua ratione fuit immortalis, incorruptibilis, impassibilis, expers omnium dolorum, periculorum, malorum &c. Gen. II. 7. seqq. Tum quoad respectum in qua, qua ratione subjectum imaginis fuit omnis homo, tum mas, tum femina Gen. I. 27. tum protoplasti, tum posteriv. 28. & præterea totus homo, quoad subjectum ut quod, quia totus homo dicitur ad imaginem DEI conditus: & quoad subjectum ut quæ, quia patet ex historia creationis, quod in homine sedes imaginis divinæ fuerit anima cum suis facultatibus, & corpus cum suis membris, quod pluribus diducere volumus Tum quoad respectum circa quam, sic objectum partim est legale, nim. DEUS, Proximus, & ipsemet Homo Gen. II. 17. cum lex divina certa fuerit imaginis divinæ particula, sicut divinæ legis reliquæ nobis adhuc hodie per naturam connascuntur Rom. II. 15. & olim etiam, temporibus Patriarcharum, & Israelitarum, ante solennem legis promulgationem Exod. XX. 2. factam, omnibus connatæ fuerunt, & cunctis etiam inquisitionis ulterioris ansam Pedagogicam dederunt: partim est non legale, sic homo perfectus, & imagine divina condecoratus, versabatur circa dominium animalium, vegetabilium, Gen. I. 28. c. II. 19. (3) Causam Formalem, quæ vel est interna, seu absoluta, nim. omnimoda perfectio, quæ, citra dubium, in homine naturaliter per imaginem divinam extitisset, tanquam perfectio naturalis, habitualis, totalis &c. vel externa, seu relativa, vera nim. & perpetua cum Deo harmonia, sicut nullum vel dissensionis, vel discessionis à DEO, tum in Cap I. tum

ANTHROPOLOGIA.

tum in *c. II.* fit indicium; sed peccatum primum fuit à DEO diffidium *Esa. LIX. 1.* (4) *Causam finalem*, ratione nostri, tum naturalis rectitudo, tum externa, interna, & aeterna beatitudo, tum omnis hujus beatitudinis plenitudo *Gen. I. 26. c. II. 25.* sed respectu Dei, dicitur alius finis intermedius, *DEI Cultus Gen. II. 17.* alius ultimus, *DEI Gloria c. I. 26. I. Cor. XI. 7.*

17. (3) *Imaginis divinae Excellentiam*, quæ conspicitur ex ipsis attributis: nam hæc imago erat (1) *divinissima*, quia DEUS hominem ad imaginem suam formavit, *Gen. I. 26. 27.* (2) *Perfektissima*, quia veras perfectiones comprehendebat. (3) *Ordinatissima*, quia nullam confusionem admittebat *Gen. II. 25.* (4) *Excellentissima*, quia pulcherrimas, vel eminentissimas *DEI virtutes*, atq; *dotes*, præ se ferebat. (5) *Intima*, quia tum animam, & ejus facultates, tum corpus, & ejus membra, quoad intimam exornationem condecorabat. (6) *Optima*, quoad statum terrestrem, & animale, qui certe melior imagine Divina dari non potuit. (7) *Fucundissima*, quia puras, easq; meras delicias, & voluptates in homine generabat. (8) *Elegantissima*, quia nec major, nec melior pulchritudo vel anime, vel corpori, quam per imaginem divinam conferri poterat. (9) *Utilissima*, quia sine periculis, & incommodis utilitates maximas homini pariebat. (10) *Beatisima*, quia beatum hominem non in hac modo vita semper effecisset, sed etiam ad æternam beatitudinem in altera vita possessorem transtulisset. (11) *Naturalis*, quia naturam ipsam hominis excoluisset, & exornasset. (12) *Moralis*, quia cunctas hominis actiones, & internas, & externas, voluntati divina, legi divina, honestati vere, conformasset, & *ἀνταρχειᾶ* plena, perpetuaq; possessorem donasset &c.

18. Hæc fideles illorum temporum cognovisse, non obscure prodit nostrum *Compendium* (1) *ex Israelis appellatione*, quia *populus Israeliticus* erat vera fidelium Ecclesia, jam fideles reparantur ad imaginem DEI in Ecclesia per verbum, & sacramenta: non igitur imaginem DEI, vel etiam statum integritatis ignorare poterant. (2) *Ex Israelis conditione*, quia nomen *Israel* notat eum, qui cum Deo & hominibus luctatur, *Gen. XXXII. 28.*

COMPENDII MOSAICI

lis autem est vere fidelis, qui cum DEO per fidem veram in tentationibus luctari necessum habet, & cum homine, vel Adamo veteri quoque fidelibus perpetuo colluctandum: Adam vetus autem præsupponit primum, & post se requirit novum: ideo certum est, quod à fidelibus Doctoribus, cum primis per Mosén, hæc omnia sint Israelitis exposita. (3) Ex Elobenu consideratione, quia hic Elobenu est noster Immanuel, noster Mediator, & Redemptor, verus mundi Messias, qui reparare voluit, quod in Adamo deperditum erat: nam tali Redemptore, vel Goele, qui nominatissimo erat in V. T. non fuisset opus, nisi cuncta bona per lapsum sublata, cuncta mala collata nobis fuissent: in hujus autem Goelis meditatione Mosés, & Propheta, vel alii Viri θεόπνευστοι, semper occupatissimi fuerunt. (4) Ex DEI Creatoris Confessione, quia per Mosén in Compendio nostro DEUS Unus, & Trinus, videlicet Creator universi proponitur: jam autem sine creatione hominis, & Status integritatis qualicumque cognitione, nec DEUM ipsum cognoscere potuissent.

19. Accedimus jam ad Statum corruptionis, qui pariter in Compendio nostro, juxta verborum genuinum sensum, & revelationis divinae præcedentem statum, est conspicuus: Prius probamus (1) ex Israelis mentione; jam autem passim Israeliticus populus à Mose, juxta corruptionem suam, describitur in Exodo, Levitico, Numeris, ut integrum de corrupto statu, de corrupta vita Israelitarum Commentarium conscribere possemus. (2) Ex Israelis originatione, quia Jacob est Israel nuncupatus ob luctam, quam cum Filio DEI, tanquam colluctator, susceperat: ratio nominis datur hæc Gen. XXXII. 28. Nequaquam Jacob appellabitur deinceps nomen tuum, sed ISRAEL, quia luctatus es cum DEO, & hominibus, & prevaluisti. Jacob Symbolum, & Typum gerit peccatorum conversorum, qui perpetuam his in terris militiam gerere, Job. VII. 1. & luctam Spiritus adversus carnem instituere necessum habent Gal. V. 17. Nam Christianos, vel etiam omnes Israelitæ spirituales penitentes pugnare, vel colluctari semper oportet. (a) à supra cum DEO, quia DEUS variis modis eos tentare solet Gen. XXII. 1. seqq. (b) Cum hominibus ab extra, cum totus mundus in

in

ANTHROPOLOGIA.

in maligno positus sit *I. Job. V. 19* (c) Cum *semetipsis* ab *intra*, quia cum *veteri* suo *Adamo*, vel corrupta carne semper colluctari coguntur *Gal. V. 17*. Omnes autem hæ *colluctationes* statum *corruptionis*, & prærequirunt, & inferunt, & continuis exercitiis produnt. (3) *Ex Elobenu conditione*, quia hic *Elobenu*, vel *Immanuel*, *DEUS* noster est, verus *Mediator*, & *Goel*; jam verò tum *Elobenu* vel *Immanuel*, tum *Mediator*, & *Goel*, statum *corruptionis* includunt, quia si *status corruptionis* non excitisset, & homo per peccata corruptus non fuisset, nec *Mediatore*, vel *Immanuele*, vel *Goele*, nobis opus fuisset. (4) *Ex verbi consideratione*, quia *Moses* commendat *Israelitis auditum*, nim. *verbi*, sed juxta *contextum*, & ipsum *objectum*, *auditum Evangelicorum Mysteriorum*, quare dicitur ipsum *Mysterium Trinitatis*, quod citra dubium in statu *corruptionis* est *Mysterium Evangelicum*, & alia *beneficia gratiæ* sicut ex toto *capite*, vel etiam ex *precedentibus*, & *consequentibus*, est manifestum. *Evangelium* autem revelatum est, & prædicatur ob *statum corruptionis*, nim. ut *peccatores penitentiam* agant, vera *fide* constanter in *Elobenu*, vel *Goelem*, credant, & in ipso cuncta *beneficia gratiæ*, fiducialiter apprehendant. (5) *Ex Correlati connotatione*: nam *relata* se *mutuo ponunt*, atq; *tollunt*: jam *verbum*, quod audiendum, est *fide* recipiendum, hinc etiam *verbum fidei* nuncupatur, & quidem quod in *Deut. c. XXX. 14.* per *Mosen* est consignatum *Rom. X. 8.* *Fides* autem est *peccatorum*, ut nim. à *peccatis* per *fidem* purificentur ipsorum *corda Act. XV. 9.* & sic etiam ad *Christum* unice refertur, qui venit non *justos*, sed *peccatores ad penitentiam* vocare *Marc. II. 17.*

20. *Posterius* latissime diducere possemus è *libris Mosaicis*, quod *Status Corruptionis Israelitis* veris, vel *fidelibus DEI Filiis*, ex *verbo DEI* fuerit notissimus, sed in hoc *Compendio* tractationis *compendiosæ* *memoriam* servare debemus. Notamus igitur ex *fide*, vel *Anthropologia Theologica Patriarcharum, & Israelitarum* I. *Corruptionem generalem*, quoad *Causas*, & quidem (1) *Causam Efficientem*, quæ (a) non est *DEUS*, tum quia *DEUS* est *autor perfectionis* *Gen. II. 1.* non *imperfectiõnis*, *autor productionis* *Gen. I. 3. seqq.* non *corruptionis*: tum quia *DEUS* omnia *benefecit* *Gen. I. 31.* *bona* proinde *bene*, non *male* fecit. (b) *Nec*
B 3
est

COMPENDII MOSAICI

est *natura*, quia tota *natura*, tum quoad *corpus*, tum quoad *animam*, est à DEO Gen. II. 7. & præterea homo, quoad *naturam*, est ad *imaginem divinam* conditus c. I. 26. 27. ubi verò DEI servatur *imago*, nulla dari potest ibi *corruptio*. (c) Nec est *per se voluntas hominis*, quia *voluntas hominis*, quæ talis, Deo subordinabatur in omnibus Gen. II. 15. seqq. & *subiectum voluntatis* per se tantum est *bonum*, sicut ex ipsa *recta ratione* deducitur. Sed potius *causa corruptionis* est *voluntas Diaboli*, vel *Cacodæmonis* Gen. III. 1. seqq. & *voluntas hominis labentis* v. 6. vel *carnalis affectus*, appetitus, & effectus, Gen. VI. 12. ubi tum *passive terra* dicitur *corrupta*, nim. homines *terrestres*, qui vivebant in terra, qui *terrestrem vitam* ducebant, quiq; *terram* colebant, vel incolebant: tum *active* legitur, quod *omnis caro* corruerit *viam suam in terra*.

21. (2) Quoad *Causam Materialem*, quæ dicitur *Homo*, & consideratur (a) quoad *quidditatem*, sic dicitur *homo* non à Deo creatus Gen. I. 27. c. II. 7. sed lapsus c. III. 6. 7. non ad *imaginem DEI* conditus c. I. 26. c. V. 1. sed ad *imaginem Adami* factus c. V. 3. (b) quoad *quantitatem*, nō tantum quoad *universalitatem subiecti*, quia tantum *Adamus* ad *imaginem suam corruptam* genuit *liberos* Gen. V. 3. & sic *omnis caro*, vel *omnis homo*, secundum *imaginem Adami* genitus, *corruptit viam suam* c. VI. 12. sed etiam quoad *universalitatem mediæ*, quia $\text{כָּל} \text{בְּרִיאַת}$ *omne signentum*, *omnis conceptus*, *omnis motus*, *omnis cogitatio*, *omnis volutio*, *omnis operatio*, &c. tantum *mala* c. VI. 5. quoad *universalitatem objecti*, dum כָּל non est *sui* כָּל , sed est *alterius*, vel *objecti* כָּל , & sic in omnibus *objectis* *corruptio* datur, & à nobis peccatoribus cunctis *rebus*, vel *objectis* peccaminosi quid applicatur: itē, quoad *universalitatem membrorum*, quia *cordis*, ceu *membrum primarii* mentio fit, ex quo *vita*, vel etiam *affectus* distribuuntur, & operantur per *omnia reliqua membra* Matth. XV. 19 adde quoad *universalitatem temporis*, quod *corruptionis malum* adfit, & insit miseris hominibus nō aliquando, vel certis, sed potius *omnibus temporibus*, ab *infantia* vid. & *omni tempore*, per *totam vitam*, dum nemo, nisi *mors*, liberare nos potest à *corpore mortis huius*, vel à *malo corruptionis* Rom. VII. 24. (c) Quoad *qualitatem*, quia *totus homo* corruptus est,

est,

ANTHROPOLOGIA.

est, cujus rei *Speculum* limpidissimum, & lucidissimum conspicimus in *Adamo*. *Gen.* III. 6. & seqq.

22. (2) *Causam formalem*, quæ consistit *objective*, vel *generaliter* in *imagine DEI amissa*, & *imagine Adami admissa* *Gen.* V. 1. 3. *nim.* in *universe* vel *integritatis*, vel *bonitatis*, *rectitudinis*, & *perfectiōnis privatione*, quæ maxima cum *lesione subiecti* conjuncta, & *universe corruptionis*, & *pravitatis*, *turpitudinis* & *imperfectiōnis positione*, quod prolixè juxta *Mosen* ex c. III. IV. V. VI. & locis aliis quam plurimis, demonstrari possit, nisi res omnis in vado versaretur. *Specialiter* verò, vel *subjective* consistit in *corruptione* tam *hominis totius*, tum *omnium facultatum*, tum *omnium partium*, tam *essentialium*, quam *integralium*, quod præter alia loca deduci potest ex c. VI. 12. ubi dicitur, quod *omnis*, & quod *tota caro corrupta* sit: & quod præterea *corruperit omnem viam suam*: *omnem viam anime*, tum quoad *intellectum*, tum quoad *voluntatem*, tum quoad *appetitum*, tum quoad *affectus*, tum quoad *interiores motus*, tum quoad *omnes sensus*, tum quoad *interiores cogitationes*, *meditationes*, *consultationes*, *decisiones* &c. Sic etiam *omnem viam corporis* corrumpit, *nim.* *viam cordis* v. 5. *viam oculorum* v. 2. *viam manuum* ibid *viam operum* v. 4. *viam omnium ordinum*, *nim.* *Status Ecclesiastici* v. 3. *Status politici* v. 4. *Status Oeconomici* v. 2. imò *multa* dicitur, per *divinam exaggerationem*, *malitia hominum in terra* v. 5.

23. (4) *Causam Finale*, quæ dicitur ipse *corruptus homo*: nil enim aliud ipsa *corruptio* vel intendere, vel attendere videtur, quam *subiecti corruptionem*, quod in *Oraculo nostro* pariter indicatur, quia talem offert *Israelem*, qui *Elohenu*, vel *Goele*, propter *corruptionem* opus habeat. Et sic per *Mosen* etiam alias indicatur (1) *Corruptio naturalis*, quia loco *imaginis DEI* primus *Adam* posteris suis *imaginem suam corruptam* communicavit, & per ipsam *conceptionem hanc* in eos propagavit *Gen.* V. 1. 3. (2) *Corruptio originalis*, quæ *intime*, vel etiam *habitualmente* hæret in *tota natura* cujuslibet hominis, ita, ut *omnis ejus motio*, vel *factio*, tantum mala sit *Gen.* VI. 5. *II X. 21.* (3) *Corruptio actualis*, quæ dicitur *omnis caro suam*, vel etiam *vitam corrupisse super terram*

terram

COMPENDII MOSAICI

terram Gen. VI. 12. (4) *Corruptio moralis & quidem habitualis, quia Deus ipse vidit, quod multa malitia hominum esset in terra, & quod sine pudore, sine rubore gravissimis sceleribus omnes, & ubiq; & semper indulgerent, qua de causa cunctis hominibus, excepto Noacho, cum suis, Diluvii panolethrian immisit Gen. VI. 7. c. VII. & IIX.*

24. II. *Specialem Corruptionē, vel de Peccatis doctrinā, quæ quidem in Compendio nostro non κατὰ ῥητὸν traditur, interim in eodem κατὰ τὴν διάνοιαν, & secundum Mosaicam doctrinā invenitur. Hac ratione notamus in Anthropologia Mosaica (1) Peccatum primum, tum respectu Protoplastorum, tum respectu Posterorum. Peccatum primum Protoplastorum est miserrimus ipsorum lapsus, & horrenda pariter à Deo Creatore & Benefactore, per Diaboli seductionem, Apostasia, quæ tum temporis ex Gen. III. frequenter à Doctores repetita, & cunctis fidelibus inculcata, nim. ut fontem malorum atq; peccatorum omnes recte cognoscerent. Describitur lapsus Protoplastorum apud Dn. D. Calovium in post. Theol. p 280. quod fit voluntaria legis divine transgressio, qua sese imagine divina privavit homo, & per libertatis concreta & abusus seductione Diabolica à Deo avertit, mortem & temporariam, & aeternam inferens. Hæc omnia cognoverunt fideles illorum temporum ex Gen. III. ita quidem, ut causas, circumstantias, & eventus, lapsus protoplastorum ex traditione Virorum θεοπαιδῶν exacte cognoscere potuerint: sed hic fusius ea persequi non licet.*

25. *Quod attinet Posterorum peccatum, idq; potissimum imputatum, ratione tum culpæ, tum pænæ, dicitur illud inobedientia posterorum per lapsum in lumbis Protoplastorum commissa, quæ attraxerunt sibi Posteris mortem cum temporalem, & aeternam: quod cognitum fuerit hoc peccatum à Patriarchis, illud non obscure patet, tum ex DEI testimonio, quod omnis caro corruperit viam suam Gen. VI. 12. tum ex Lamechi suffragio Gen. V. 29. ubi testatur, quod terre, & in ea terrestribus hominibus Dominus maledixerit: si proinde Deus maledixit omnibus, sequitur, quod hæc maledictio nec sine pænâ, fuerit, nec absq; culpâ esse poterit:*

ANTHROPOLOGIA.

ex peccati fundamento, quod est historia lapsus, ex qua certe multa colligere documenta possemus, quæ peccatum hoc posterorum confirmant, imprimis, quod lapsus protoplastorum non fuerit personalis tantum, sed etiam naturalis, adeoque non modo protoplastorum personas, & naturam individualem, sed etiam naturam integram, & totam speciem hominum infecerit, atque corruerit.

26. (II) *Peccatum Ortum, quod vulgo gemina dicitur conditionis, nimirum tum Originale, tum actuale, illud dicitur commune, hoc proprium, illud nature, hoc energie, illud habituale, hoc morale, illud perpetuum, hoc temporarium, illud connatum, hoc acquisitum, illud instar seminis, hoc instar fructus, illud instar cause, hoc instar effectus, illud instar fontis, hoc instar fluvii &c: consideratur.*

27. *Quod autem tempore Mosis hæc doctrina fuerit notissima, illud patebit ex doctrinalibus punctis sequentibus, quia Patriarchæ, vel Israelitæ fideles cognoverunt (I.) Originalis peccati Existentiam. Probamus hanc (1) ex integra nature lapsu Gen. III. 9. quia dum integra natura labitur, certe corrupta natura contrahitur, quæ corrupta natura necessarier peccatum originale præ se ferre dicitur. (2) Ex imaginis divina defectu: nam quod imago DEI defecerit, ejusque loco corrupta quædam Adami Veteris Imago successerit, ex Gen. V. 1. 3. manifestis indiciis, cum primis ex directa permutatione, colligitur. (3) ex originalis peccati effectu, quia Gen. III. tot indicia manifesta notantur, ut integrum eorum catalogum producere possemus, quales sunt, tum Eve labentis $\pi\alpha\rho\rho\upsilon\iota\alpha$, dum verba divinæ legis mutat, & mutando Gen. III. 3. depravat, primum addendo aliquid in excessu, ne tangeremus illud, postmodum etiam in defectu; Ne Fortè moriamur: tum Eve labentis $\alpha\upsilon\tau\iota\omega\upsilon\iota\alpha$, dum & auribus abutitur ad suspectum cum Satana colloquium: & cordis conceptibus, dum Satanae verbis liberum accessum ad mentem & intellectum concedit: & voluntatis motibus, dum voluntas apparens bonum assequendæ divinitatis, vel ipsius equalitatis Dei, pro bono vero, juxta seductionem Diabolicam, apprehendit: & appetitus cupiditatibus, dum pravæ concupiscentias lubens admittit: & oculorum aspectibus, quia vi-*

C dit

COMPENDII MOSAICI

dit mulier, quod bonum esset lignum ad comedendum: & *manus contrectationibus*, dum & ratione sui fructum vetitum apprehendit, eundemq; post manducationem viro pariter offert: & *oris sensibus*, quia tum tactu, tum gustu, forsitan & olfactu, suas delicias in fructu vetito quæsit: & *manducationis eventibus*, quia dum per esum fructum vetitum comedit, & in fauces ac viscera demisit, cuncta interiora membra, totamq; naturam, cum omni sanguine, veneno peccati corrumpit: tum *Eve lapsu dicitur*, quia de fructu vetito comedit, suisq; blandis persuasionibus virum in peccati societatem traxit, & de fructu vetito dedit, qui pariter comedit, & parè ἀνομίαν attraxit: tum *oculorum apertio*, quæ non potest non arguere peccatum: tum *irregularis confusio*, quia mox omnia sunt in homine confusa per lapsum commissum, & ἀνομοσίαν contractam, quam non potest non sequi confusio: tum *nuditatis deprehensio*, quia viderunt se nudos, & imagine divina spoliatos: tum *foliorum ficus adbibitio*: tum *vocis Domini evitatio*: tum *ipsius coram Domino aversatio*, quia fugerunt Dominum & absconderunt se à facie Domini &c: Hæc & alia statim ipsam nature corruptionem & peccatum originis produnt, quod successu temporis in Adamo propagatum est &c: Ex his omnibus, & aliis effective colligitur, Humanam naturam prorsus depravatam esse.

28. (II) *Peccati Originalis Essentiam*; licet enim proprie loquendo *Peccatum Originis Essentiam* non habeat, tamen loquimur cum vulgo, sentimus cum eruditis, & pro substrata materia terminos communes intelligimus. Sicut igitur alias rei cujuscumque *essentia*, cum primis in creaturis à causis æstimatur, ita fidelibus illorum temporum *Originalis peccati causa* neutiquam incognita fuerunt. Nec illud ab Oraculo nostro dicitur alienum. Nam *Israel*, cujus in Oraculo nostro mentio fit, quoad naturam corruptus, quoad gratiam restitutus, & à corruptione liberatus creditur.

29. *Originalis Peccati Causam Efficientem* includit nostrum Oraculum, & ex Gen. III. præsupponit, nim. quod *Efficiens causa* labis *originalis* non sit *Elohim*, Creator hominis Gen. I. 26. nec ejus.

ANTHROPOLOGIA.

eiusdem formator *Jehova Elohim* c. II. 7. cum hic omnia benefecerit c. I. 31. neq; creata hominis *Natura*, cum illa divinam imaginem ex ipso beneficio creationis habuerit c. I. 26. 27. imago DEI verò cum *originali peccato*, vel *imagine Diaboli* consistere nequit: sed potius *Originalis labis Efficiens causa* dicitur vel *prima*, vel *media*. *Prima* dicitur, vel *mediata*. *Diabolus*, serpens paradisiacus, qui sua seductione creatum hominem perfectione concreta spoliavit, & imperfectiones omnes cum plenaria virium corruptione miseris hominibus per venenum perniciosissimum, instar paradisiaci serpentis, inspiravit *Gen. III. 1. seqq.* Vel *immediata*, quæ dicitur *Homo*, tum quoad *sexum femininum*, tum quoad *sexum masculinum* v. 6. qui sua turpissima per lapsum *ἁποστασία* malum originale contraxerunt. Quod attinet *intermediam causam*, non alia dicitur, quam ipse *lapsus*, qui cunctis fidelibus *Israelitis* ex *Gen. III.* fuit perspectus, atq; cognitus. Ex hoc enim lapsu secuta fuit statim *horribilis natura corruptio*, quæ tanquam *venenum subitaneum* statim *animam*, & eius *facultates*, *corpus*, ac omnes eius *partes* occupavit, sicut scribit *B. Luther. Comment. Gen. 3. Fugiamus deliria ista* (Scholasticorum, naturalia vid. adhuc integra, justitiam originalem fuisse donum supernaturale &c.) *tanquam veras pestes*, & *corruptelam sacrarum literarum*, & *sequamur potius experientiam*, quæ docet, quod nascimur ex immundo semine, & *contrahimus*, ex ipsa *natura seminis*, *ignorantiam DEI*, *securitatem*, *incredulitatem*, *odium erga Deum*, *inobedientiam*, *impatientiam*, & *similia gravissima vitia*. Hæc sic *IN CARNEM NOSTRAM* sunt *IMPLANTATA*, hoc *VENENUM* sic late *PER CARNEM*, *Corpus*, *animam*, *nervos*, *sanguinem* per *ossa* & *medullas ipsas* in *voluntate*, *intellectu*, in *ratione* *DIFFUSUM* est, ut non solum eximi plene non possit, sed ne quidem agnoscat *peccatum esse*.

30. *Causa Materialis* est alias vel ex qua, quæ analogice hic considerari potest, nim. consideratur *originalis peccati constitutio*, quæ hæbat in *Israelitis*, & *ὀλικῶς*, quoad *ἑξῆς* imaginis divine *Gen. V. 1.* & quoad *ἑστῶ* imaginis *Adamicae* v. 3. *τῷ μὲν ἡμῶς*, quoad *meras corruptiones partiales*, cū ex *partialibus corruptionibus* totum monstrum *originalis peccati* constituatur; & sic videmus

COMPENDII MOSAICI

Gen. III. (1) corruptionem intellectus, quo labens Homo verba Satanica recepit, & in quo verba seducentia cogitavit, & ponderavit: (2) corruptionē voluntatis, quia voluit Eva cum Satana lubens in colloquium descendere, & verba fraudulenta seductoris admittere: (3) Corruptionem sensuum, (a) nim. auditus, quo novum, suspectum, & periculosum Doctorem, Concionatorem & collocutorem, Eva voluit audire. Primo, scribit B. Luth. d.l. Satan imitatur Deum. Sicut enim Deus erat concionatus Adæ, ita ipse quoque concionatur Hevæ. Verum enim est, quod Proverbio dicitur: In nomine Domini incipit omne malum. Sicut igitur ex Verbo Dei vero salus est: ita etiam ex verbo Dei depravato est perditio. Voco autem verbum depravatum, non solum vocale Ministerium, sed etiam persuasionem internam, seu opiniones à verbo dissidentes. Significat autē hoc Moses per verbum Dixit. Hoc enim egit Satan, ut per suum Dicere abduceret Hevam ab eo, quod Deus Dixerat, ac sublato verbo CORRUPIT optimam VOLUNTATEM, quam antea habuit Homo, ut fieret rebellis: CORRUPIT etiam INTELLECTUM, ut dubitaret de voluntate Dei. Ex his sequitur postea REBELLIS MANUS, contra mandatum Dei extensa, ad pomum carpendum. Deinde OS, & DENTES rebelles. In summa: Omnia mala sequuntur incredulitatem, seu dubitationem de verbo, & Deo. Quid a. potest esse pejus, quam inobedientem esse Deo, & obedire Satanae? (b) Visus, quia vidit, aspectu nim. illicito, concupiscentia plenos oculos coniecit in arborem, ejusque fructum. (c) Tactus, quia manum extendit ad prohibitum objectum, & illicito tactuprehendit fructum vetitum, & exitiosum. (d) Gustus, quia fructum illicitum non modo decerpit, sed etiam gustu percepit atque comedit, (e) Olfactus, qui pariter cum reliquis sensibus est corruptus, cum in hoc apparenti bono sibi cuncta pulchra, cuncta sva via, cuncta voluptuosa, misera mulier fingeret. Vide, dicit iterum B. Luther. d.l. ad v. 6. quomodo peccatum paulatim diffundatur in OMNES sensus. Quid enim omittit Heva, quod ad peccatum augendum attinet, postquam Satana contra Verbum Dei credit, futurum, ut non moriatur, sed potius, ut aperiantur oculi, & cognoscant malum, & bonum. Oculi non possunt satiari aspectu.

ANTHROPOLOGIA.

aspectu. Parum ei est, quod habet cognitionem Dei, & rectam rationem, etiam mali cognitionem optat accedere. Hoc verò est Satana IPSISSIMUM VENENUM, quod optat sapere supra id, quod ei praeceptum erat. Est enim haec sapientia mors, & inimica sapientiae Dei, in praecepto tradita. Facit enim haec sapientia, ut, quod peccatum est, iudicet esse iustitiam, & qua extrema insania est, sentiat esse optimam sapientiam. Emphasis igitur in eo est, quod tamen Latinus textus omisit, quod scilicet arbor ideo videbatur delectabilis, quia prudentes faceret. Hoc enim Diabolus in omnibus tentationibus solet, ut quanto homo à verbo discedit longius, tanto videatur sibi doctior, & sapientior. (4) Corruptionem appetituum, nam ex corruptione appetitus aurium oritur corruptio appetitus cordis, ex corruptione appetitus cordis oritur appetitus oculorum, ex corruptione appetitus oculorum oritur corruptio appetitus manuum, ex corruptione appetitus manuum oritur appetitus oris & gustus, inde movetur appetitus faucium, ventris, viscerum, & totius sanguinis. (5) Sic datur corruptio pariter cogitationum, vel motuum intellectus, corruptio interiorum motuum & omnium affectuum, corruptio desideriorum omnium &c: (6) Corruptio membrorum omnium corporis, nim. aurium, dum verba satanica recipit, cerebri, quo verba Satanica suscipit, oris, & linguae, dum verba cum Satana miscet, & cum eodem colloquium instituit: oculorum, dum fructum vetitum adspicit, cordis, dum prohibitum fructum appetit, manuum, dum illicitum objectum apprehendit, oris, dentium, palati, dum vetitum cibum comedit, faucium, dum mortiferum bolum deglutit, interiorum viscerum cunctorum, dum in ea venenatum & exitiosum cibum demittit &c: Vel in qua, sic Totus homo, quoad subiectum infectionis, tanquam subiectum ut quod originalis infectionis Gen. III. 6. omnes autem partes, & essentiales, & integrales, cum omnibus facultatibus, ut subiectum quo corruptionis hujus considerantur, quemadmodum ex jam dictis apparet. Praeterea pariter Omnis homo, omnis caro, tanquam subiectum praedicationis, Gen. VI. 12 allegatur. Vel circa quam, quae dicitur objectum, & quidem vel immediate Gen. VI. 5. quod כל יצר חרבו corde omne figmentum cordis cor-
C 3
rump-

COMPENDII MOSAICI

corrumpatur per hoc malum, quod autem de *figmento*, vel *formatione cordis*, tanquam *membri Principalis*, dicitur, illud pariter de reliquorum membrorum motibus, & actibus intelligitur: vel *mediatum*, sic *omnis caro* dicitur *Viam suam* corrupisse, nim. (a) *Viam vite*, quia *via* sæpius in S L. pro *vita* sumitur, & sic *tota vita* corrupta perhibetur. (b) *Viam energie*, quia *via* notat *actiones*, & *studia hominum*, vel etiam *internas vias cogitationum, desideriorum &c*: & sic *omnis caro* dicitur *omnes cogitationes, intentiones, actiones &c*: corrupisse. (c) *Viam hierarchie*, quia *hierarchie*, vel *statu humani generis*, à Deo fundati, sunt certæ quædam *viae*, cum homo quilibet in *certa statione*, in *certa via vocationis*, ambulare debeat, quales *viae communes hominum* sunt *Hierarchia Ecclesiastica, Politica, & Oeconomica*: sic corrupta dicitur *via hierarchie economica v.1.2. Via hierarchie Ecclesiastica v.3. Via hierarchie Politica v.4.*

31. *Causa formalis originalis mali* consistit aliàs non in *nuda privatione perfectionis nature*, sed etiam in *prava corruptione nature*, quod itidem multis ex *Gen III. IV. V. VI. VII. VIII & aliis* diducere possemus, sed modo calamum in istum campum prolixum dimittere nolumus. Sufficit hoc, quod *Israelitæ*, vel etiam *fideles* priores cognoverint hoc *Monstrum Privativo-positivum*, quod *Diabolus* in corrupta natura nostra per infelicem abortum lapsus protoplastorum exclusit.

32. *Causæ finales* etiam hic plenius adduci non possunt. Ex *parte Dei* sequitur *judicialis ira*, propter quam protoplasti, male sibi conscii præter consuetudinem pristinam, Deum *Creatorem, & Benefactorem Optimum*, ob *malum commissum* fugerunt, & coram eo, tanquam *justo iudice*, stare non potuerunt: Et *judicialis pena*, quæ generaliter nomine *mortis* indicatur *Gen. II. 17* sed specialius per varias maledictiones, & pænarum ordines explicatur *Gen. III. v. 16. seqq.* Ex *parte hominis* tum *immediatus reatus*, per quem statim *obnoxii* facti sunt *omniū pænarum*, quoad *reatū* tum *corporaliū*, tum *spiritualiū*, tum *infernaliū*: tum *immediatus status*, in quo propter *originalem morbum* *Homo* vivere necessum ha-

ha-

ANTHROPOLOGIA.

habet tanquam peccati, Diabolique mancipium, & tanquam omnis infortunii, vel supplicii gymnasium, qui Status Peccati. Sic igitur in hominibus originalis corruptionis habitus præcedit, & peccaminosus Status succedit, & culpam pœna, malitiam miseria sequitur, & homo peccator in miseria perpetua vivere cogitur. Uterque Status in protoplastis statim apparuit, à Deo defecerunt per culpam, à Deo fugerunt per miseriam, culpam commiserunt, pœnam ad miserunt, lapsum à *noσ* & *σ*las sequitur lapsus à *υ*δαμνός, peccatum attraxerunt, reatum contraxerunt, quod multis exponere foret in proclivi, nisi breviter adhuc alia proponenda forent. Conf. Gen. V. 29.

33. Ab Originali digredimur ad Actuale peccatum, quod cunctis Israelitis, & aliis fidelibus, ex quotidiana vita notissimum fuit, siue definitionem, siue varias divisiones respiciamus: nos modo methodum Venerandi Dn. D. Calovii sequemur in Theol. pos. p. 297. Quoad Definitionem, peccatum actuale dicitur aberratio à lege, qua cogitationes, & actiones humanae, à carne profecta, legem divinam transgrediunt, reatum temporalium, & aeternarum pœnarum inferunt. Nam omnes Definitionis partes è scriptis, vel Theologia Mosis probare possemus, sed res omnis difficultate caret, & quilibet è singulis libris Mosaicis illas deducere potest.

34. Quoad varias differentias peccatorum, divisiones peccatorum actualium d. l. Dn. D. Calovius considerat, (1) Ratione quidditatis, vel ratione causarum, & quidem (a) quoad causam Efficientem, vel ratione principii, sic alia peccata dicuntur cordis, alia oris, alia operis, quia tum à corde, tum ab ore, tum ab opere promanant. (b) Quoad Causam Formalem, vel ratione Modi, sic alia fiunt per commissionem mali, alia per omissionem boni. (c) Quoad Causam Materialem, vel ratione objecti, sic alia fieri dicuntur contra Tabulam primam, vel dilectionem DEI, alia contra Tabulam secundam, vel ratione dilectionis proximi. (d) Quoad causam Finale, vel ratione scopi, sic alia mortalia dicuntur, alia venialia. (2) Ratione quantitatis, sic alia dicuntur in Calum clamantia, alia non Clamantia. (3) Ratione qualitatis, vel duritiei, sic alia cum induratione, alia sine induratione

reci-

COMPENDII MOSAICI

reperiuntur. Hæc omnia peccatorum actualium genera brevitate ergo saltem in primo homicida, Caino, tanquam speculo peccatorum, notabimus. Cain peccavit corde, quia respectu Dei fide caruit, & hypocrita fuit, respectu Fratris Abelis iram in corde concepit Gen. IV. 5. peccavit ore, quia cum Abele locutus amice, licet eadem meditaretur in corde v. 8. Conf. v. 9. 13. peccavit opere quia fratrem præter omnem culpam occidit, & primus proh dolor! Parricida factus v. 8. Idem Cain peccavit omissione boni, tum erga Deum, fidei, tum erga fratrem, dilectionis. Cain etiam peccavit contra Tabulam primam hypocritico cultu, contra secundam tabulam, & fraternam dilectionem, occisionis actu v. 8. Præterea primum peccavit, venialiter, & remissionem per fidem accipere potuisset, juxta divinum colloquium primum v. 6. 7. postea mortaliter, quia prorsus de remissione peccatorum desperavit v. 13. Porro prima peccata fuerunt in celum non clamantia v. 3. & seqq. sed homicidium fratris vere fuit peccatum in celum clamans teste Domino v. 10. Deniq; prima peccata fuerunt sine induratione v. 3. postrema cum induratione conjuncta v. 9. seqq.

35. Nunc etiam de Statu restitutionis agendum esset, & doctrina vel etiam scriptura Moysis amplissimum differendi campum nobis offerret, sed id nobis modo permissum non est: hoc unicum monemus, quod omnia verba Compendii nostri Statum hunc respiciant (1) Audi, quod est verbi gratia, vel restitutionis. (2) Israel, qui nobis exhibet Ecclesiam, tanquam officinam salutaris restitutionis, cum spiritualis Israel sit typus totius Ecclesie Christianæ. (3) Deus Trinus (4) Elobenus. (5) Totum Oraculum dicitur esse divinæ revelationis, quæ propria Statu restitutionis.

36. Deniq; Statum glorificationis etiam allegare deberemus, nec id modo permissum: ostendit cum (1) auditus correlatum, fides, quæ ducit ad salutem. (2) auditor medium, quod est verbum, nim. salutis. Act. XIII. 26. quod est commune medium omnis gratiosæ reparationis (3) Autor salutis, DEUS Trinus (4) Mediator salutis, qui dicitur Elobenus &c:

Coll. diss. A. 25, misc. 47